Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26324
Copyright: Admont, Benediktinerstift

domno abbate emendare non possit. Adiutores vero predictos per simili tamen etiam minori necessitate potest mutare absente abbate. Cui soli etiam est repositum ut quemlibet fratrem mittat in culpam graviorem. Et hec est huiusmodi.

De culpa graviori. .III.

Frater qui est contumax aut inobediens vel in aliquo contrarius regule extiterit, hic quoque secundum regulam est tractandus. Qui vero aliquod tale crimen ut est furtum vel sacrilegium incurrerit, sentiens illud ita publicatum esse ut non possit tanti sceleris reclamationem effugere, domno abbate capitulum tenente petit veniam sua sponte, deinde lamentabiliter profert in quo lapsus sit crimine. Ad quod cum audierit: Ite et exuite vos et discalciate et revertimini sicut mos est, exit precedente eum camerario in auditorium. Ibi eo adiuvante primum pedes denudat, capitium quoque staminei sui dextra levaque incisione laxat ut brachia per ipsum valeat extrahere, et stamineum cum manicis circa femoralia ligare. Non tamen aufertur ab eo cultellus neque cingulum. Accipit manu dextra iugiter ibi iacentium virgarum manipulum ab ipso camerario tunc ad presens colligatum, et in leva cucullam decenti complicatione pendentem, et camerario precedente ita venit ad conspectum domni abbatis, ac virgis cucullaque ante se positis veniam petit. Iussus ut surgat sedet ad terram et cucullam super genua ponit. Verberatur quantum videtur domno abbati. Deinde iussus ut se induat ita sedens cucullam nudo corpore induit et surgit. Post hec iubetur exire ad induendum. Comitatur eum qui et super. Rediens discalciatus iterum se prosternit. Cum audierit a domno abbate: Frater, estote in graviori culpa, protinus caput flectit, capellum induit quod et postea non abstrahit quamdiu in tali sententia fuerit, nisi quando ante ostium ecclesie se prosternit. Tunc enim parum illud detrahit. Deinde ad designatum talibus locum tendit, prosequente eum fratre cui tunc a domno abbate committitur. In predicti autem auditorii occidentali angulo quedam est mansiuncula ad huiusmodi fratres recipiendos tante quantitatis ut uni sufficiat homini, et est iugiter a camerario serata nisi quando aliquis tenetur graviori culpa. Tunc tantum noctu a custode suo clauditur si suspicio fuge in eum habetur. Ante quam ediculam frater iste prope custodem suum sedens moratur donec finito capitulo mox per elemosinarium si opus est scopetur et iunco sternatur. Ibi iugiter manet sed discalciatus et absque custodia. Ibi super iuncum dormit et reficit. Nullus ei loquitur nisi frater predictus. Ille enim de singulis que sibi sunt agenda debet eum premonere et in tempore sue refectionis que sunt necessaria administrare. In qua hora et quantum domnus abbas precipit de pane siligineo et iusticiam eius cum aqua et pateram illi apportat, nisi prefatus pater aliquid premii ei superimpendat. Qualiscumque autem sit eius refectio ad eam non prohibetur manus abluere, sed neque mensale neque mensam permittitur habere. Cibus eius non benedicitur. Reliquie cibi eius de et potus si non est aqua singulariter absque fratrum fragmentis pauperi alicui tribuuntur. Pro corporali